

dici vulneratus et semivivus relictus, sed debilis et ad summum semivivus creatus. Cæterum quamvis vulneratio in naturalibus non. indicet quid distinctum a spoliatione gratiutorum naturæ integræ donatorum, non frustra tamen in axiomate additur; quia *apte explicat*, quomodo et quam male hæc gratiutorum spoliatio naturam afficiat, ita ut per eam dicatur vulnus acceptissime in natura; siquidem illa dona ex pacto et promissione divina erant naturæ antecedenter unita, et quodam jure naturalibus ejus facultatibus tum quoad se, tum quoad usum propria: ictu autem peccati exinde sint *separata*, quæ separatio vel divisio dicitur vulnus ad instar vulneris corporalis, quo partes antea continuæ ac unitæ a partibus separantur.

173. *Obj. II.* Si homo in natura pura conditus peccaret, imminueretur ejus inclinatio naturalis ad bonum; ergo et hoc accidit in natura lapsa per *peccatum originale*, et datur intrinseca debilitas major. *Conf.* Per originale natura est aversa a fine ultimo etiam *naturali*; ergo necessario est debilior ad bonum etiam naturale, quia bonitas actuum moralium pendet præcipue ex fine ultimo.

R. Pejor omnino in hoc casu foret *naturæ puræ* conditio, non ex aliis tantum hujus status capitibus, sed quia *actuale peccatum* est conversio ad creaturas, et relinquit speciem inchoativam habitus vitiosi; quorum neutrum ex originali peccato qua tali habetur; unde *N. Cons.*

Ad Conf. T. vel C. A. et N. Cons. Quia aversio præcise a fine ultimo non est aliqua *forma physica* residens in Adæ posteris, nec privatio perfectionis naturalis; sed solum moralis quædam habitudo et denominatio, reddens quidem subjectum Deo invisum, at nihil post se relinquens in natura, ratione cuius naturalis ejus perfectio dici possit immunita.

Inst. Ex variis naturæ affectionibus intrinsecis aperte prodit se major debilitas naturæ lapsæ. Nam 1. *Rebellio concupiscentiæ regnat* de facto in carne peccati: non regnaret in statu naturæ puræ. 2. Concupiscentia in homine lapsø, juxta probabilem D. THOMÆ, est *materiale* peccati originalis; ex eo autem sequi videtur, quod habeat aliquid plus, quam in natura pura, scilicet majorem reluctantiam contra rationem, et majorem inclinationem ad bonum sensibile rationi contrarium. 3. Homo in statu naturæ puræ ex sibi debitibus posset mereri apud Deum *præmium naturale*; hoc vero non posset homo lapsus. 4. Nihil obest, quominus natura lapsa amittat inclinationem naturalem ad bonum; tum quia eamdem etsi connaturalem amittunt *damnati*: tum quia beati amittunt etiam potentiam peccandi, quantumvis connaturalem.

R. *N. Ass. Ad Prob. 1^{am}. C. A.* sub propria vocatione, et *N. Cons.* quæ inferri posset. *Rebellio* proprie est vis subditi aggreditis aliquid contrarium principi: hinc cum in natura lapsa insurgat concupiscentia contra rationem, cui in statu innocentiae fuit subjecta et mansisset subdita in nobis, nisi originale peccatum intercessisset, recte dicitur *rebellare*: non ita in natura pura ob rationem contraria.

Ad Prob. 2^{am}. T. supp. N. seq. Concupiscentia quoad esse physicum et reale nihil habet nunc, quod non haberet in natura pura: habet quidem plus quoad esse morale, nempe privationem ordinationis præhabitæ inter vires inferiores ac superiores, cum S. THOMAS formale originalis peccati statuat in

privatione gratiæ et justitiæ originalis; per hoc tamen, quod concupiscentiæ in natura pura deest, nihil amittit naturalium virium, aut accipit naturalis documenti concupiscentia in homine lapsø.

Ad prob. 3^{am}. D. Cons. Ergo debilior est natura lapsa quam pura ad merendum C. ad honeste præcise agendum, abstrahendo a ratione meriti N. Meritum passim requirit, ut obsequium præstetur saltem a non inimico; hoc vero in natura lapsa, præscindendo a redemptore, non haberetur: quod ipsum tamen non pertinet ad aliquod intrinsecum, sed ad extrinsecum indignitatem.

Ad Prob. 4^{am}. N. Ass. Ad prob. R. Disparitas est, quia 1°. in *damnatis* inclinatio ad bonum extinguitur ratione obstinationis, quæ involvit actualem deordinationem peccati, conjungiturque cum supplicio æternō sine spe veniæ; non autem eosque *connaturalis* homini est inclinatio in bonum, ut comprimi non possit per actualem a bono aversionem, præsertim ubi non est spes conjunctionis possibilis. 2°. Potestas peccandi est ita *connaturalis* creature, ut non sit impeditiva majoris boni et finis ultimi, qui cum componi nequeat cum hac potentia, debet per hanc posse tolli. Alier res habet cum inclinatione et potentia ad bonum comparate ad peccatum originale respectu naturæ, quæ adhuc in via est. Cum enim illa homini aliunde sit *connaturalis*: peccatum autem originale secundum se ei non opponatur; nec etiam adsit aliquid cum ipsa incompossibile; non est, cur debeat dici ablata vel imminuta, saltem quoad habitudinem intrinsecam.

CAPUT II.

DE VARIIS CIRCA GRATIAM ERRORIBUS.

Cum in disputationibus de gratia potissimum circa ejus *necessitatem*, *existentiam* et *agendi modum* versemur, res nobis maxime est cum Pelagianis, Semi-Pelagianis, Luthero, Calvino, Baio, Jansenio et Quesnello, utpote qui ea in materia ab orthodoxa doctrina plurimum aberrarunt.

ARTICULUS I.

QUINAM FUERINT AUCTORES, DEBELLATORES ET ERRORES HÆRESIS PELAGIANÆ CIRCA GRATIAM?

176. *Dico I. Auctor* fuit *Pelagius*, natione Britannus seu Anglus, professione monachus, ingenio fortissimo, celerrimo et acutissimo præcellens, moribus etiam pietatis laudem consecutus, et scriptis clarus, quorum præcipua sunt *Liber unus de natura*, *Libri quatuor de libero arbitrio*, *Libri tredecim expositionum in omnes Pauli epistolas*, *Libellus fidei ad Innocentium*, et variæ ad varios epistolæ. Errores suos præformatos ab Origene, Ruffino, et Theodoro Mopsuest. Romæ spargere cepit circa annum Christi 403. ea

eloquentia et calliditate, ut plures etiam probos ac litteratos falleret, sibique adjungeret, artibus non unis ac fraudibus tum in disseminando, tum in defendendo usus.

Propugnatores hæreseos et *Discipuli* Pelagii præcipui fuerunt : *Celestius* natione, ut conjicitur, *Campanus*, vitam monasticam professus et post presbyter, acerrimi ingenii homo, Pelagio vafritie non inferior, superior etiam audacia, et actione potius, quam scriptis clarus.

Julianus in Apulia natus, tum ob patris memoriam, tum ob egregiam, quam adolescens præ se ferebat, in dolo, S. AUGUSTINO primum carus, ad Eclanensem Episcopatum junior provectus, acer ingenio, sermone eloquens, virtutis specie nomen etiam magnum adeptus, sed Episcopatu post suscep-tam Pelagii hæresin pulsus; contra fidem Catholicam et S. AUGUSTINUM multa scripsit, praesertim Libros quatuor contra Librum unum S. Aug. de nuptiis, et Libros octo contra Libros sex S. Doctoris Juliano oppositos.

Annianus natione Italus, ordine Diaconus, latinæ et græcæ linguae peritissimus, Pelagio plurimum utilis ad emundandam sermonis in eo barbariem, S. AUGUSTINI contemptor mordax in homiliarum quarundam S. CHRYSOSTOMI edita ab eo versione latina, et S. HIERONYMI oppugnator, cuius ad Ctesiphontem epistolæ aliquot libros opposuit.

177. *Dico II. Debellatores* Pelagiæ hæreseos dicuntur vel Patres in Conciliis congregati, vel Patres singuli dogmatica scripta opponentes, vel summi Pontifices Constitutionum decreta edentes.

CONCILIA in causa Pelagianorum congregata sunt 24.

I. Carthaginæ an. 412. præside Aurelio, ubi Celestius anathemate damnatus appellavit Sedem Apostolicam.

II. Hierosolymis an. 413. præside Joanne Hierosol., qui cum Pelagii patronus esset, tanquam judex rejectus, et causa ad INNOCENTIUM I. Pont. max. delata fuit.

III. Diospoli, in civitate Palæstinæ, sub finem ejusdem. an. 413. præside Eulogio Cæsariensi, ubi Pelagius objecta ab Erote et Lazaro hæreseos capita ancipiti responsione exposuit, et Patribus illusit, hinc errore facti ab iis Catholicus pronuntiatus.

IV. Carthaginæ an. 416. præside Aurelio.

V. Milevi in Nûmidia circa finem Octobr. ejusdem. anni, præside Sylvano; ab utroque Pelagius et Celestius ut hæreseos auctores delati sunt ad INNOCENTIUM P. M.

VI. Carthaginæ sub finem ejusdem. an. 416. præside Aurelio, ubi eadem delatio repetita fuit.

VII. Romæ in Januar. an. 417. sub INNOCENTIO. Damnata hic fuit hæresis Pelagiæ cum suis auctoribus et sectatoribus.

VIII. Constantinopoli eod. anno, præside Attico contra Celestium.

IX. Antiochiae anno eod. præside Theodoro contra Pelagium.

X. Romæ circa initium Septemb. ejusdem. an. 417. sub ZOSIMO P. M. ubi comparuit Celestius, allata est Pelagii epistola et fidei professio.

XI. Carthaginæ ineunte Novembri ejusdem. anni, ubi INNOCENTII damnatio, sub anni initium in Pelagium Celestiumque lata, est acceptata, et litteræ ad ZOSIMUM de causa eorumdem hæreticorum dætae fuerunt.

XII. Romæ circa medium Aprilis an. 418. sub ZOSIMO, ubi detecta Pelagiæ ac Celestii tum hæresi tum fraude, uterque repetita auctoritate damnatus est.

XIII. Carthaginæ Calend. Maii ejusdem. anni, Aurelio vocante, convenerunt ex omnibus Africæ provinciis Episcopi, unde et Africanum dictum est. Hic Pelagiæ hæresis rursus anathematizata, et Canones octo, in priore Synodo Carthaginensi conditi, sunt promulgati.

XIV. Carthaginæ medio Junii an. ejusdem, similis conventus est coactus, et hinc Africanum Concilium posterius nuncupatus.

XV. Iterum Carthaginæ in autumno an. 418., ubi epistolæ ZOSIMI et damnatio Pelagianorum communi plausu excepta fuerunt. Dicitur et hoc Concilium Africanum, nempe tertium.

XVI. Etiam Carthaginæ an. 419. præside Aurelio, quod nomen quoque Africani quarti habet, et plures Canones edidisse refertur, qui in Codice Afric. Ecclesie notantur.

XVII. In Cilicia an. 423. adversus Julianum.

XVIII. Constantinopoli an. 424. in causa Episcoporum ex Italia ejectorum propter hæresin Pelagiæ.

XIX. Romæ an. 425. sub COELESTINO I. P. M.

XX. Carthaginæ hoc vel priore anno, præside Aurelio, in causa Leporii, qui prius hæresi favens libellum satisfactionis dedit.

XXI. In Gallia anno et loco incerto, a quo missi Germanus Antissiodorensis et Lupus Trecensis Episcopi ad Pelagianos in Anglia debellandos.

XXII. Verolamii in Anglia an. 429., ubi duo illi Galliae Episcopi Pelagiæ nos convicerunt.

XXIII. Romæ an. 431. sub COELESTINO P. M., quod fuit quasi præparatio Concilii generalis.

XXIV. Ephesi an. 431. Conc. generale contra Nestorium et Celestianos, quo nomine dicebantur a Celestio, qui alias audiebant Pelagiæ a Pelagio.

PATRES, qui grassanti Pelagiæ hæresi scripta dogmatica opposuerunt, potissimi fuerunt S. HIERONYMUS, AUGUSTINUS, OROSIO, SIXTUS et MARIUS MERCATOR. Primo tribuitur, quod primus in aciem contra Pelagianos prædierit: secundo, quod eo præcipue duce bellum contra eos feliciter fuit confectum. Unde posterioris hujus, nempe S. AUGUSTINI, opera contra Pelagiæ scripta breviter recensere juvat; omissis tamen libris, quibus eorum errores, antequam vulgarentur, jam præfocasse censeri potest, quales erant Libri tres de libero arbitrio, Liber unus de duabus animabus, Libri duo de diversis questionibus ad Simplicianum. Sunt autem secundum seriem chronologicam sequentia.

ANNO 412. Libri tres ad Fl. Marcellinum de peccatorum meritis et remissione, in quibus peccati originalis existentiam et baptismi parvolorum necessitatem demonstrat: Pelagium adhuc commendat, eo quod ejus vita etiamnum a pluribus commendaretur. Item Liber unus ad eum. Marcellinum de spiritu et littera, in quo impeccantiam Pelagianorum oppugnat, et hominem sine gratia, præter legem necessaria, ad justitiam pervenire posse negat. Data etiam est hoc anno epistola 120. (al. 140.) ad Honoratum, novos hæreticos exagitans.

ANNO 413. Sermo 14. de verbis Apostoli (al. serm. 294.) quo Pelagianos perstringit.

ANNO 414. Epistola 89. (al. 157.) ad Hilarium contra Pelagianos in Sicilia commorantes.

ANNO 415. Liber unus *de natura et gratia* contra Pelagii librum de natura priore anno editum, quem tacito adhuc nomine refutat, et quid de natura, quid de gratia certum sit, edocet. Item Liber unus *de perfectione justitiae* adversus definitiones Celestii, quam per solas naturae vires possibilem, et ex gratia etiam in praesenti vita futuram negat. Ejus non meminit in LL. Retract., quia, cum ad Eutropium et Paulum scriptus sit, videtur ad seriem epistolaram pertinere. Scriptae etiam hoc anno sunt epistolae 28. et 29. (al. 166. 167.), ad Hieronymum, in quibus de origine animarum, et de loco Jacobi : *qui offenderit in uno* etc. tractatur.

AN. 416. Epistole 252. (al. 179.) ad Joan. Hieros., 94. (al. 178.) ad Hilarium Narbon., 92. (al. 176.) ad Innocentium, quibus damnatio Pelagii in Conc. Carthaginensi et Milevitano narratur.

AN. 417. Liber unus *de gestis Pelagii vel Palæstinis*, ubi de Synodo Palæstina, calliditate Pelagii et chartula defensionis ab hoc ad AUGUSTINUM missa agit, simulque ostendit ipsam hæresin damnatam fuisse, licet ejus auctor fraude damnationem evaserit. Item sermo 2. de verb. Apost. (al. serm. 131.), in quo causam Pelagianorum Sedis Apostolicæ judicio finitam docet. Adde epistolas 143. (al. 188.) ad Julianum, 57. (al. 187.) ad Dardanum, 106. (al. 186.) ad Paulinum, contra Pelagianos scriptas.

AN. 418. Libri duo, alter *de gratia Christi*, alter *de peccato originali*: in quorum primo Pelagii artes et fucum circa gratiæ confessionem aperit et refellit : in secundo de peccato Adæ, de nuptiis, libidine, et de effectibus baptismi tractans, damnatam in Celestio Pelagii doctrinam convincit. Item epistolæ 105. (al. 194.) ad Sixtum postea P. M. et 157. (al. 190.) ad Optatum, quarum illa compendium quasi Catholicae doctrinæ contra Pelagianos refert, hæc vero circa originem animarum versatur.

AN. 419. Liber *primus* ad Valerium Comitem *de nuptiis et concupiscentia*, in quo de nuptiarum bono, concupiscentia ac pudore accurate agit. Item Libri quatuor *de anima et ejus origine*, quibus tum Manichæi, tum Pelagiani in iis, quæ ad ignorantiam et difficultatem spectant, confutantur.

AN. 420. Liber *secundus de nuptiis et concupiscentia*, in quo depelluntur argumenta, quæ ex libris Juliani contra priorem S. AUGUSTINI de nuptiis et concupiscentia librum excerpta illi fuerant transmissa. Item Libri quatuor ad Bonifacium P. M. *contra duas epistolas Pelagianorum*, in quibus Catholica dogmata de reatu originali et gratia Christi contra Pelagianorum cavillationes vindicantur. Ad eundem annum pertinet epistola 107. (al. 217.) ad Vitalem, in qua necessitas et gratuitas gratiæ adstruitur.

AN. 421. vel sub initium sequentis, Libri sex *contra Julianum*, quibus illius libros quatuor, quorum excerpta in L. 2. de nupt. et concup. refutaverat, penitus excutit et refellit. Item *Enchiridion* ad Laurentium, sive Liber unus *de fide, spe et charitate*, in quo plura contra Pelagianos extant argumenta.

AN. 424. Liber unus ad Valentimum et Monachos Adrumetinos *de gratia et libero arbitrio*, in quibus concordiam gratiæ et liberi arbitrii exponit, et controversias apud illos ortas, nonnullis nempe contendentibus, gratia ad pie-

tatis opera absolute necessaria, de libertate actum esse, S. AUGUSTINUS componeré satagit.

AN. 425. Liber unus ad eosdem *de correptione et gratia*, in quo ostenditur nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam, et discrimen gratiæ ante et post lapsum exponitur.

AN. 426. et 427. Libri duo *Retractationum*, in quibus libros a se scriptos recenset, partim corrigit, partim confirmat, et dicta contra hæreticos explicat et urget.

AN. 428. vel 429. Liber unus *de prædestinatione Sanctorum* et unus *de dono perseverantia* ad SS. Prosperum et Hilarium, quorum epistolis de Semi-Pelagianorum erroribus certior factus fuit S. Doctor. Hos autem in iis debellat, probatque, non solum incrementum, sed ipsum etiam fidei initium ac perseverantiam esse donum Dei.

ANNIS iisdem vel 430. Libri sex *contra Julianum*, dicti vulgo *opus imperfectum*, quia S. AUGUSTINUS morte occupatus relinquere hoc opus imperfectum coactus est, utpote an. 430. quinto Calend. Septemb. mortuus. In eo respondet ad libros octo a Juliano contra librum secundum Augustinianum de nuptiis et concupiscentia editos, quorum sex priores refutantur per sex a S. Doctore jam confectos, duo posteriores autem ob mortis interventum responsione caruerunt.

PONTIFICES SUMMI, preter alios posteriores, omnes Pelagianæ hæresi coevi eamdem damnarunt, de quibus GELASIUS P. M. ep. ad Honorium Dalmatiae Episcop. ita scribit (Labb. t. 4. p. 1173. A.): *An fortasse nescitis hanc hæresin... et ab Apostolica dudum Sede per beatæ memoriae Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Celestimum, Sextum, Leonem continuis et incessabilibus sententiis fuisse prostratam?* De his porro observandum :

1º. INNOCENTIUM inter Pontifices maximos fuisse primum, qui Pelagianam hæresin damnaverit, ejusque auctoriis et sectatoriis dixerit anathema, datis ad Patres Concilii Carthaginensis et Milevitani litteris.

2º. ZOSIMI in Pelagianos sententiam promulgatam esse per epistolam, quæ *Tractoria* vocatur, eratque prolixa, integrum causam Pelagianam complexa, ad omnes Christiani orbis Episcopos directa, ut huic nempe formulæ singuli subscriberent; quod etiam ab omnibus est præstitum, exceptis cum duce Juliano Episcopis octodecim, qui cum interposita appellatione ad OEcumenicum Concilium provocassent, excommunicati, depositi, et e civitatibus suis expulsi fuerunt.

3º. A COELESTINO, in scripta ad Galliæ Episcopos epistola, laudatum et a sinistræ suspicionis rumore liberum semper habitum esse S. AUGUSTINUM. Huic annexa leguntur *decem decretæ*, nomine auctoritatum præteriorum sedis Apostolicæ Episcoporum vulgata, quæ eidem COELESTINO adscribuntur a plurimis, a Petro Crabbo autem, Sirmondo et aliis adjudicantur.

178. Dico III. Errores Pelagianorum universim ad tria capita referuntur :

1º. Gratiam Dei secundum merita, solius naturæ seu liberi arbitrii viribus facta, dari. 2º. Hominem per easdem arbitrii vires posse divina omnia implere mandata, et sine omni peccato vivere, adeoque gratiam Dei necessariam non esse, ut homo legem servare et a peccatis abstinere possit; sed solum per eam fieri, ut facilius haec homo possit. 3º. Peccatum primi pa-

rentis ipsi, non posteris nocuisse, seu non dari in nobis originale peccatum. Recensuit hæc S. AUGUSTINUS L. 3. ad Bonif. cont. duas ep. Pelag. c. 8., et L. de don. persev. c. 2. n. 4.

179. *Dico IV.* Errores Pelagianorum *speciatim et circa gratiam colligi* possunt ex systemate *Pelagi*, quod tres partes complectitur. 1^a. Est ejus distinctio inter *possibilitatem, voluntatem et actionem*, de qua S. AUG. L. de gr. Christi c. 3. n. 4. et c. 4. Quamvis enim Catholici etiam et Concilia hæc tria in homine etiam distinguant, et liberum arbitrium seu possibilitatem faciendi bonum vel malum fateantur esse a creatore Deo : negant tamen arbitrium illud se solo et sine gratia posse facere bonum, aut sine ea volitionem et actionem bonam a libero arbitrio procedere.

2^a. Est ejus distinctio inter *possibilitatem et adjutorium possibilis*, ubi per illam solam intellexit naturam; per adjutorium autem indicavit legem ac doctrinam, revelationem, exemplum Christi, remissionem peccatorum, et ad summum interiorem intellectus illustrationem de qua S. AUGUSTINUS L. de grat. Christi c. 6. 7. 8. 9. 10.

3^a. Est adjecta ab eo gratiæ duplex conditio. Qualemcumque enim possibilis adjutorium Pelagius admitteret, 1^o. negabat illud esse *gratuitum*; 2^o. negabat esse *simpliciter necessarium*, sed tantum *ad facilius duntaxat agendum*. De utroque testatur S. AUG. L. de gr. Christi c. 26. et 31.

180. *Observa* varios Pelagianæ hæresis status : *Primus* fuit velut *Ethnicismus*, in quo, nulla gratiæ facta mentione, Pelagiani naturam hominis sufficere dicebant ad bene agendum, vitandum peccatum, vincendas passiones et beatitudinem consequendam. *Secundus* fuit velut *Semi-Ethnicismus*, in quo naturam ipsam tanquam gratiam agnoscere et prædicare cœperunt. *Tertius* fuit velut *Judaismus*, in quo aliud genus gratiæ, nempe legem seu doctrinam divinam, exempla Christi, et remissionem peccatorum admiserunt. Atque hi tres status ponuntur fuisse ante latam a ZOSIMO sententiam : post eam vero et ab anno 418. successit major, ex opinione *Jansenii*, mutatio dogmatis Pelagiani. Hinc juxta eum *quartus* fuit *Semi-Christianismus*, in quo concesserunt quidem veram gratiam etiam voluntatis, quæ nempe faciat velle et operari, sed tantum ad perficiendum bonum, non autem inchoandum, adjectis simul duabus conditionibus gratiam evertentibus.

181. *Dico V.* Fundamenta hæresis Pelagianæ tria colliguntur ex scriptis SS. Patrum adversus Pelagianos. *Primum* et principale, quod existimarent Pelagiani necessitatem gratiæ ad bene operandum repugnare *libero arbitrio* et inducere fatum. Docemur id ex S. AUGUSTINO de gestis Pelag. c. 35. n. 65.

Secundum, quod Deus non præcipiat, nec præcipere possit *impossibilia*; unde, cum homo secundum se sit capax legis et præcepti, statuebant, eumdem etiam secundum se posse implere præcepta a Deo imposta, ac proinde gratiam ad ea implenda non esse *simpliciter necessariam*. Habetur id ex ipsa Pelagii ep. ad Demetriad. c. 4. 16. et 18. (inter opp. Hieron. t. 11.).

Tertium, quod alias videretur Deus *acceptor personarum*, si gratiam suam unis negaret, aliis concederet, nullis eorum præcedentibus meritis; propter quod Pelagius censuit gratiam Dei secundum merita nostra dari, ut ex

erroribus in Conc. Diopolitano damnatis, L. de gest. Pel. c. 14. et L. de hæresib. hær. 88. liquet.

His tamen fundamentis quantumlibet positis, haud gravate Pelagius admisit *adjutorium legis ac doctrinæ*, exemplum item Christi et adminicula. Cum enim hæc omnia non nisi ad intellectum pertineant et solam suscent cognitionem illius, quod faciendum vel omittendum est; in ejus systemate remanebat tota facultas *voluntatis et liberi arbitrii nativi*, sufficiens sibi vis ad bonum quod lex ostenderit, licet in actum exire non posset, nisi cognitio præcessisset, non quidem defectu potestatis, sed solius illuminationis.

QUÆRES I. *An et qualem gratiam illustrationis interiorem tandem admiserit Pelagius?*

182. R. I. Pelagius admisit interiorem gratiam, qua intellectus intime a Deo illustratur.

Prob. S. AUG. de Pelagio L. de gr. Christi c. 41. *Ipsas quoque*, inquit, *ut in scriptis suis apertissime affirmat* (Pelagius), *orationes ad nihil aliud adhibendas opinatur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiat, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione et actione perficiat*. His autem manifeste designatur, præter legis doctrinam exteriorem et revelationis propositionem, vera et interna illustratio; quia, qui orat, jam lège et révélatione prævia instructus est, et aliam adhuc doctrinam utique petit.

Conf. S. AUGUSTINUS, dum ibidem c. 29. recitasset hæc Pelagii verba : *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam, subjungit : Tolle facilius, et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus.*

Nec dicas : S. AUGUST. hæc et similia omnia ferme semper revocat ad legem et doctrinam, ut vel ex uno c. 7. de gr. Chr. manifestum est.

R. D. Revocat ad legem, quatenus hæc omnia tantum manifestant Dei voluntatem, non autem vim agendi libero nostro arbitrio suppeditant, quod ipsum duntaxat lex et doctrina facit C. quatenus hæc omnia habeant se omnino exterius ut lex, vel forsan mere ex parte objecti, ut potest esse doctrina et revelatio N. Primum sensum fuisse genuinum S. AUG., probat tota disputatio laudati libri, et verba ex eod. c. 10. hic referenda : *In legé namque et doctrina sanctorum Scripturarum futurae gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo : ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur.*

183. R. II. Pelagius illustrationis gratiam, quam admisit, simul dupli errorre fœdavit, 1^o. volens nos eam promereri per naturæ vires : 2^o. putans eam non esse *simpliciter necessariam*, sed tantum ad operandum facilius.

Prob. ex dictis n. 179.

Conf. S. AUG. L. de hæresib. c. 88. de Pelagio scribens : *Gratiam Dei, inquit, qua liberamur ab impietate (dicunt) secundum merita nostra dari.* Exin colligunt nonnulli, gratiam illustrationis hac dupli proprietate vitiam non esse veram illustrationem supernaturem, quæ intellectum elevet ad actus similes elicendos ; adeoque gratiam hanc a Pelagianis admissam